

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Thomæ Goodwini Moses & Aaron Seu Civiles & Ecclesiastici Ritus Antiquorum Hebræorum

Godwin, Thomas

Bremæ, MDCCX

VD18 12442798

Cap. VI. De Prophetis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18703

CAP. VI.

De Prophetis.

I. **L**Egis interpretes diversis nominibus insigniti sunt. Et licet annus & tempus, quo cujusvis nomen ortum est, antiquitate testum sit, nec ullis monumentis pateat, concipere tamen possumus tres diversos temporis articulos & periodos, quibus nomina mutationi succubuerunt. I. Ab *Adamo* usque ad *Mosen*. II. A *Mose* usque ad *reditum* populi ex *Babylone*. III. Ab isto *reditu* usque ad dies *Salvatoris nostri* & deinceps.

II. In prima temporis periodo, sicut *Adamus* & *Propheta* (1) & *Sacerdos* suæ familiæ fuit, ita postmodum quivis *primogenitus* his duobus muniis præfuit,

D 4

fuit,

(1) Eximia *Adami* prophetia fuit, quod uxorem suam appellaverit **EVAM**, *matrem omnis viventis*, *Gen.* III. 20. Exhibitione digna est quorundam *Rabbinorum* derivatio istius vocis à rad. **אָמַר** *indicavit, dixit*, quod *Eva* adeo loquacula miscuerit sermones cum serpente. *Ista* *Judaici* cerebri bulla, absque ullo refutationis spiritu, propriâ inanitate corrui. Hæc ergo est vera sententia *prophetiæ* istius: *Audiverat Adamus, Semen mulieris contriturum esse caput serpentis*, atqui tale semen sine dubio debebat esse fortius serpente, h. e. *Deus*, **יְהוָה**, alias victus esset à *Satana*: debebat etiam nasci ex muliere, & **ζωοποιεῖν** *vivificare* homines in peccatis mortuos, damnato *Satana*. *Adamus* ergo, hoc non ignorans, *Evam* dixit *matrem omnis viventis*, h. e. tam *vivificantis Christi*, quàm *vivificati miseri hominis*, tam **ἀγιαζοῦντος** *sanctificantis*, quàm **ἀγιαζομένου** *quod sanctificatur*. Si enim innuisset meros homines, cur non æquè se patrem viventis dixisset?

xisset?

fuit, simulque regimen suæ domus gessit. Quòd autem suas familias *Regum* instar moderati sint, & tanquam *Prophetae* condocetecerint, non nisi hospitem in Sacris Literis latere potest. Sed maximum de ipsorum *Sacerdotio* dubium est. Adami Sacerdotium exinde concluditur, quòd Gen. IV. 34. Abel & Cain dicantur tulisse munus suum, scil. ad Adamum, qui ipsorum nomine illud Deo offerret. (2) *Bertram Folit. Jud. c. 2. p. 17.* Sacerdotium

xisset? aut si innuisset umbratilem hanc vitam, quæ morti similior est, cur non potius ipsam dixisset matrem omnis morientis? Voluit ergo propheta, Semen Sanctum nasciturum non à se viro, sed à muliere; ab illo semine ἀγίασμα ζων vivificandos omnes ἀγιαζομένους.

(2) Hæc ratio Sacerdotii Adami ficulnea erit, nisi alia suppeteret; nam nullibi exstat, eos munera sua tulisse ad Adamum, imò in tota descriptione oblationum illarum nulla fit mentio Adami. Forsan autor denuò vult, Adamum, in isto libertatis statu, instar *Episcopi*, Abelem instar *Diaconi*, fuisse? Quid ergo impedit, quominus dicamus, Adamum audito Evangelio, Gen. III. vs. 15. & fide suâ in istam promissionem declaratâ vs. 20. impulsu Spiritus Sancti, non ex ἐθελοθρησκείᾳ, sed jussu Dei obtulisse sacrificia? vs. 21. (quorum exuvias, Deo docente, consuerit, sibi que tunicas fecerit: quod notabat fideles induere Christum & ipsius morte nuditates, h. e. peccata nostra, tegi. Quando autem eodem vers. dicitur, *fecit Jehova vestes*, explicandum est, usitato modo loquendi, facere docuit; quales vestes, δέματα ἁγία Sancti etiam gestârunt, Heb. XI. 37. Johannes & Elias togas pilosas induti erant, (h. e. sine dubio exuvias pilis hirsutas.) Sic ergo filii Adami obtulerunt, procul dubio Adamo interprete & exemplum monstrante, sacrificia *eucharistica*, quibus Deo gratias agebant adhibitis precibus: num autem fuerint *bilastica*, quibus ederent nondum expi-

dotium primogenitorum inde conjicere licet, quòd Levitæ addicebantur altari loco primogenitorum, tanquam ipsorum λύτρον *pretium redemptionis*, Num. III. 41.

III. In secunda temporis periodo, etiamsi κατήχησις Legis privata solius esset patrisfamilias; publica tamen dabatur Sacerdotibus & Prophetis.

IV. In tertia periodo, quando prophetiæ sifluerunt, munus exponendi Sacras Literas vulgatori usui cessit, & Prophetarum loco, aliorum interpretum insignis multitudo succrevit, quos generali voce notare & omnes διδασκάλους *Doctores* vocare possumus, Joh. III. 10. Distinguere eos licet in I. Σοφῆς *Sapientes*. II. Γραμματεῖς *Scribas, sive Legisperitos*. III. Συζητηταίς *Disquisitores*. I. Cor. I. 20. Unusquisque horum, aut quicumque *Doct̄or* alios donis præstantibus antevertebat, titulo RABB̄i condecorabatur. I. *Propheta*. II. *Sapientes*. III. *Legisperiti*. IV. *Disquisitores*. V. *Rabbini*.

D 5

V.

expiati reatûs chirographum, quis vel asserat, vel neget? Qui verò in fide offerebant, ut Abel, per sua sacrificia adspiciebant Christum maestandum pro suis peccatis, suamque propriam justitiam abnegabant. Kain autem rejectus est cum suis sacrificiis, qui putabat cum Judæis (quorum in odio fratris & propriæ Justitiæ & operis operati fiducia typus, & ob hæc singula primus Hæreticus est) Deum tantilla adipe propter peccata placari posse. Hæc sacrificia neque personis, neque tempori, neque loco alligata fuerunt; unde Deus negat patribus præcepta dedisse de sacrificiis, Jer. V. 11. 22. h. e. eos adstrinxisse conditionibus certis & jugo similibus.

V. I. *Propheta* in Sacra Scriptura variis veniunt nominibus. I. Dicuntur pro ipsis *Prophetarum libris*. *Habent Mosen & Prophetas*, *Luc. XVI. 29.* II. *Pro toto Scripturarum codice*. *Nulla Prophetia Scriptura est propriae interpretationis*, *2. Petr. I. 20.* III. Illi, quibus Deus se familiari manifestatione aperuit, vocabantur *Propheta*. Abraham *Propheta* fuit, *Gen. XX. 7.* Mirjam *Prophetissa*, *Exod. XV. 20.* IV. Ordinarii Verbi Divini interpretes dicebantur *Prophetae*; qui accepit *Prophetam in nomine Prophetae*. (3) *Matth. X. 41.* Tandem sumuntur pro illis, qui *χρηματιδέντες divinitus docti*, occulta mysteria, quæ omnem humanam sapientiam excedunt, eruunt. Hinc olim *Prophetae* וְנָבִיִּים *Videntes*, *1. Sam. IX. 9.* ipsorumque prophetia וְנִבְיָה *Visio*, vocantur, *Esa. I. 1.* quia Deus modo extraordinario mentem ipsorum notitiâ horum mysteriorum illuminavit. (4)

VI.

(3) Deus dedit in N. T. *Prophetas*, scil. qui non modo demonstrarent per *Scripturas*, qualis *Apollos Act. XVIII. 25. 28.* quique essent *δυνατοὶ ἐν τοῖς γραφαῖς potentes in Scripturis*, *Act. XVIII. 24. 1. Cor. XIII. 2. XIV. 1. 6. 39.* sed &, qui Spiritu Dei acti & inspirati, vel prædicerent futura *Act. II. 27. 28.* vel quod ipsis peculiariter revelatum esset, *Ecclesiae* exponerent, *1. Cor. XIV. 30-32.* Et hi *Prophetae*, distincti ab *Apostolis & Doctoribus ac pastoribus*, à Christo dati dicuntur. *1. Cor. XII. 28. Act. XV. 32. Eph. IV. 11.*

(4) *Prophetis* aliquid innotuit, vel per *ὄραμα visionem*, vel per *insomnium*, vel per *signa externa*, muta in oculis, vocalia in auribus, mista ex utrisque; vel per *signa interna*, quæ erant vel *sensibilia*, vel *intelligibilia*; quæ argutè exemplis illustrat *Cel. Spanb. Dub. Evang. Tom. II. Dub. LVI. Vid. & Cel. Burman. Synops. Th. tom. 1. l. 3. c. 5. §. 14.* qui tres modos revelationis prophetiæ statuit.

VI. Tres notatu dignæ appellationes dantur prophetiæ in S. Scriptura; vocatur I. *Verbum Domini*. II. *Visto*. III. *Onus*. Primum nomen infert Dominum loquentem, sive sua mysteria denu-dantem; Secundum Prophetæ attentionem sive contemplationem; Tertium judicia (†) denotat, queis ille populus, adversus quem prophe-tia lata est, onerandus sit.

VII. Diversis in locis Auditoria & Scholæ, pro-feminandæ Prophetarum doctrinæ, exstructæ fuêre; horum discipuli nominabantur *Filii Pro-phetarum*, 2. Reg. VI. 1. Ad quem loquendi modum alluditur *Matth. XI. 19. Sapientia justificata est à filiis suis*. Hoc intuitu Propheta fert interdum nomen *Patris*: Elisa clamavit, *pater mi, pater mi*, 2. Reg. II. 12. Eodem sensu Græci nuncupant artis me-dicæ candidatos *ιατροῦν παῖδας*, *Erasm. Ep. Dedic. Hilario præfixâ*. Targum locum 2. Reg. II. 12. ita ex-ponit, ac si dictum esset, *Rabbi, sive magister mi, magister mi*. Et sanè enixâ ambitione Rabbini arri-

(†) Vix credere licet, Deum propterea verbo suo nomen *נשׂוּב* *Massa* indidisse, *Zach. IX. 1. Jer. XXIII. 33.* ut significaret ipse, onerosam calamitatum ac pœna-rum denuntiatrix esse prophetiam. Itane enim nil præter pœnas dixere prophetæ? Ergo Illud vocabulum proprie notat *Lationem, gestationem, elationem, prolationem, einen Antrag/ Fürtrag/ Aufstrag/ sive sermonem, quem pro-phetæ debebant ferre ad populum, efferre & proferre*. Utdebantur Judæi voce istâ in ambiguum sensum, *Jer. XXIII. 36-39.* quia reverà improbis verbum Dei erat onus, & adhuc est onus gravissimaque sarcina, hinc & nolunt dicere cum Johanne, *præcepta ejus, seine Belastungen/ ut Belgæ loquuntur, non esse onus, aut gravia.*

arripiebant istud nomen *Patris*, unde Christus dixit *Matth. XXIII. 9. Non vocabitis quempiam patrem vestrum in terra.* (5)

VIII. S. Scriptura Prophetæ nomini sæpè jungit nomen *Patris ejus*, ut *Hof. I. 1. Hoseas filius Beer.* Et talem Hebræi ajunt fuisse & Prophetam & filium Prophetæ. *Kimch. præf. ad Hof.* Interdum & S. Scriptura memorat nomen Prophetæ, non vero *Patris*; & talem tum dicunt fuisse Prophetam, sed non filium Prophetæ. Interdum suffigit nomini Prophetæ nomen *urbis*, in qua prophetavit; & tum Prophetam ipsis est *Propheta hujus urbis*; ubi autem supprimitur nomen *urbis*, tum Prophetam ex Hierosolymis deducunt.

IX. II. *Sapientes.* Licet hic titulus generalior sit, omnibusque Doctoribus & Pastoribus communis,

(5) Deus Israëlitis, velut minorennibus liberis, præfecerat *ἐπιτρόπους καὶ διονόμους tutores & curatores*, *Gal. IV. 2.* qui patrum loco honorandi sunt: Germani aptâ voce dicunt *Pfleg; Watter*; quique Israëlitas κατὰ τὸ δὸξῆν αὐτοῖς ἐπιδιδόντων, prout visum ipsis fuit, coërcuerunt, *Hebr. XII. 9. 10.* Hi fuerunt Seniores, Sacerdotes, & Levitæ, qui ceremonias addere, & iis Israëlitas onerare poterant, *Matth. XXIII. 1-4.* & à quibus in Lege institui debebant Judæi; quique etiam *Patres* audiunt præcepto V. Competebat ergo illis nomen istud *Patris*; at Christus vetat quempiam nominare patrem in N. T. quia nulli amplius sunt ejusmodi *παιδευταὶ castigatores*, & à quibus verbum Dei petamus; nec etiam ita nominandi sunt, quasi ad ipsorum infallibilitatem provocemus, uti semper Judæi ita nominarunt & adduxerunt *Patres & Sapientes* suos. Ad utrumque impingunt Pontificii, omnesque illi, qui auctoritatem Doctorum, & nomina humana, Lutheri, Calvinii, Speneri &c. pro argumentis usurpant.

nis, tamen multis annis ante *παρουσίαν* adventum nostri Salvatoris *Pharisæi* eum vel sibi ipsis arrogaverant, vel aucupati erant à plebecula ignorante, quæ stupebat ipsorum sapientiam in inculcandis traditionibus *παροιμαδοτοῖς*, quas supra Legem extollebant. (6) *Gorionid. lib. 4. cap. 20.* Inde fecerunt *Pharisæis* nomen, *Magistros Traditionum.* *Drus. de trib. sect. pag. 86.* Ejus farinae fuit consilium istud, quod dedit *Rabbi Eliëzar* suis discipulis, ut deflecterent filios suos à S. Scriptura, ipsosque ponerent *κατὰ τὰς νόδας* ad genua Sapientum, *Buxtorf. Recens. oper. Talmud. p. 195.* Inde etiam fluxit ipsorum tritum, *οἱ σοφοὶ ἡμῶν δευτεροῦσι*, *Sapientes nostri traditiones docent*; quo utebantur, si quando

(6) Ex omnibus Hebræorum monumentis liquet, quantum tribuerint suæ legi orali, quam vocabant *תורה* *פרא* *שבעל פרא*, & traditioni, sive *קבלות*. Unicum addam testimonium ex *Cel. Cocc. Sanh. cap. 10. §. 3.* *חומר בדברי סופרים מברברי תורה*. *gravius peccatur circa verba scribarum, quam verba legis.* Quibus traditionibus, vetustis etiam temporibus, gloriati erant, *Jer. XVIII. 18.* non attendentes, filium scribarum mentiri posse, *Jer. VIII. 8. Mal. II. 7. 8.* Has traditiones dicunt *Mosen* in monte *Sinai* à Deo accepisse. Hoc equidem negare non possumus, *Mosen* Senioribus & Sacerdotibus, ex quorum ore verbum Dei audire & petere debebant *Israëlitæ*, dedisse aliquam *κατάχρησιν*, ut juxta eam verbum Dei tractarent; sed illi sine dubio postmodum non tantum suis hallucinationibus pravisque additamentis omnem sobriam expositionem adulterârunt, ut patet ex locis citatis, sed & ad ea sola auditores remiserunt, unde dicuntur *clavem cognitionis abstulisse*, *Luc. XI. 52. Vid. cap. V. not. 35.*

quando Doctorum quis erudiebat. *Hieron. ad Algas. quæst. 10.*

X. Æqualem ambitionem notare possumus in Græcis, qui omnes inhiabant titulo σοφῆ *sapientis*. Hinc factum, ut, ubi cujusdam oratio fuerat ad palatum circumfusæ multitudinis, applaudebatur ipsi, σοφῶς, *sapienter dictum*; usque dum Pythagoras tædio turgidi illius tituli se mallet appellare (†) φιλόσοφον *sapientia studiosum*. Quam humilitatem postmodum imitati Hebræorum Magistri, ut suspicionem ambitionis averruncarent, superfederunt nomine חכמים *sapientum*, contenti se nuncupare תלמידי חכמים *discipulos sapientum*.

XI. III. Scribæ γραμματεῖς ספרים. Hoc nomen tribuitur duobus hominum generibus, vel puris *Laicis*, vel *Ecclesiasticis*. (7)

XII.

(†) Pari modo, ut *Zacharias Ursinus*, autor five scriptor catechesæ Heidelbergensis, vir alioquin, uti constat, è Doctissimis, noluit se dicere *Theologum* (quùm hic titulus Divi sit Johannis, è sinu Jesu Dei verba haurientis, doceatque, eum, qui hoc titulo emicet, θεοδιδάκτων esse) sed se appellavit *Theologiae Studiosum*.

(7) Horum γραμματέων & νομικῶν *Scribarum* five *Legisperitorum* originem Hebræi arcessunt à promulgatione legis, quùm tum describendis codicibus Scribæ requirebantur; alii à tempore Davidis, 1. Chron. XXIV. deducunt, alii à diebus Josaphati, 2. Chron. XVII. 7-9. Alii eorum autores statuunt Hillelem & Schammai; sed potior opinio est, quæ ipsorum ortum dat Esræ, qui nuncupatur *scriba velox* ספר מהיר Efr. VII. 6. Neh. VIII. 1. 4. 9. 13. qui ejusmodi *Librarios* instituit, ut codices, quorum multam partem

XII. Laïci *γεγραμμέναις* erant, quibus instituendi pueri minores mandabantur, præprimis ut ipsos literas pingere docerent; eos *ἀπλῶς* dicere possumus *γεγραμμέναις* *Scribas*. Hoc officioungebatur tribus *Simeon*. Hoc quidem sensu nomen Scribarum non occurrit in Sacris Literis, etsi originem suam inde derivarent, verbisque Divinis probarent, quæ Jacob dixit *Simeoni & Levi*, *Gen. XLIX. 7. Distribuem eos in Jacobo, & dispergam eos in Israële*: nam, quemadmodum tribus *Levi* nullam propriam hæreditatem & portionem accepit, sed passim habitabat, sparsaque inter reliquas tribus ex altari victitabat: ita tribus *Simeon* nullam propriam Rempublicam constituabat, sed dissipata per cæteras tribus alimoniam vitæque subsidia instituendis liberis parabat; *Salomon Jarchi, Gen. XLIX. Ambr. Tom. 4. cap. 3.* Num verò hocce officium scholasticum soli tribui isti destinatum fuerit, alii disquirant. Certus sum *Simeonitis* sorte datam esse portionem & hæreditatem. (8) *Jos. XIX. 1.* Et prophetia de dispersione ipsorum in hoc impleta esse creditur, quòd *Simeoni* hæreditas sua cessit ex hæreditate *Judæ. vs. 9.* Cæterum

partem sine dubio accensæ Hierosolymæ flamma ederat, describerentur. Sed non negari potest etiam ante *Efram* fuisse *סופרים* *Scribas*, forsitan autem non tam certum munus fuit, nec tantus numerus eorum, quia, quando defecit sub templo secundo Spiritus S. & prophetia, &c. tum plus operæ dederunt literis, & describendis literis.

(8) *Simeon* loc. cit. accepit hæreditatem & portionem in hæreditate *Judæ* vers. 9. Attamen propriam Rempublicam, ut cæteræ tribus, non conficiebat, sed unâ cum tribu *Juda* miscbatur; & in hoc, ut Autor benè ait, impletæst prophetia.

terùm constat, quòd si non omnes *Scribae*, tamen hi *publici Notarii*, quorum opera usurpatur (†) in litibus, contractibus &c. ex quacunque etiam orti fuerint tribu, nuncupati sint *γεγραμματοῖς* ספריים, ad quod alludit *Pf. XLV. 2. Lingua mea est stilus Scribae velocis.*

XIII. Ex horum numero censeo viros perspicaci mentis acie, electos publico (†) usui; quosdam, ut à manu consiliisq; Regis essent, tanquam *Secretarii γεγραμματοῖς βασιλέως*, (9) 2. *Reg. XII. 10.* Tales erant *Seja*, 2. *Sam. XX. 25.* & *Saphan*, 2. *Reg. XXII. 3.* Quosdam verò, ut operam suam ferrent publicis dicasteriis & consistoriis; hi similes sunt nostris *Secretariis Grammatophylacii*, & dicebantur *γεγραμματοῖς λαῶν Scribae populi*, *Matth. II. 4.* 1. *Macab. V. 42.*

XIV. Hæc secunda Scribarum species pertinet ad *personas clericas*; erant enim interpretes Legis, & hinc vocati *γεγραμματοῖς τῶ νόμου, νομικοί, νομοδιδασκαλοί,*

(†) Quemadmodum *γεγραμματοῖς Literatores* i. denotant præfigurantque eos, qui *literam sciunt & urgent, Spiritu autem carent*, *Jud. vs. 19.* & propterea infensissimi veritatis hostes sunt: 2. Ita & *Simeonita* typus sunt eorum, qui magistratum in populo gerunt, & cum Levi juncti virum & bovem triturantem amenti zelo occidunt, veluti *Pilatus & Cajaphas.*

(9) Benè. Et quando absolutè quispiam vocatur ספריים, ut 1. cit. & 2. *Reg. XII. 11. XXV. 19.* 2. *Sam. VIII. 17.* possumus intelligere aliquem Scribarum præfectum, quem hodie *Protonotarium* dicere amant. Talibus concredita erant publica instrumenta, archiva, annales, commentarium temporum, tum gestorum, tum censuum & reddituum,

σκαλοῖ, *Legisperiti*, (10) *Esr.* VII. 6. *Luc.* VII. 30. *Luc.* V. 17. Munus ip̄ forum fuit scribere, legere, & populo Legem Mosis exponere. (†) Nomen erat non sectæ, sed officii. Talis fuit *Efra*, *Esr.* VII. 6. ex tribu *Levi*; tales alii ex tribu *Juda*; nam nulla tribus ab hoc munere excludebatur. *Drus. de Sect. lib. 2. cap. 12. Chald. Paraphrast.* Huic nomini tantundem pretii deputatum fuit ab Hebræis, ac (II) *Magis* à Chaldæis, *Quindecim-Viris* à Romanis,
 E qui

(10) Quod γραμματεῖς & νομικοὶ iidem fuerint, cuius constat. Saltem conferatur *Matth.* XXII. 35. cum *Marc.* XII. 28. Differebant autem à Regiis Scribis; erant publici Notarii, & Legis interpretes; &, ut Autor ait, non habebant nomen Sectæ, sed Officii: nam vel Pharisæis, vel Sadducæis, vel Essæis studebant, *Matth.* XXII. 34. 35.

(†) Νομοδιδάσκαλοι *Gesetz-Lehrer* & inter Christianos quam plurimi sunt. Vid. 1. *Tim.* I. 6. 7. Scil. illi, qui legem & præcepta exponunt, & virtutes inculcant, quod & Philosophi fecere, & grave onus auditoribus imponunt, id quod nec ipsimet attingunt; Exque his omnibus ζητήσεις & λογομαχίας serunt, non contenti, vel ignari, summam voluntatis Dei & præceptorum esse, fidem, charitatem & bonam conscientiam, l. c. vs. 5. quæ singula non ex lege, sed ex Deo in Christo Jesu dantur & petenda sunt.

(II) Quales fuerint *Magi* adeò decantati Græcis & Latinis, docti pars magna chori multum inter se digladiati sunt. Judæi eos quintuplici nomine, sed in deteriorem partem inclinante, vocant. Hoc omnibus ferè placet, fuisse Philosophos, & Theologastros, cælorum motibus, astrologiæ, aliisque naturæ vicissitudinibus intentos. *Plato in Alcib.* I. sic ait: Περσάρων σοφόντων & μαγείαν διδάσκοντες, ἐστὶ δὲ ἔτι Θεῶν ἱερατεία. διδάσκει καὶ τὰ βασιλικά, h. e. sapien-

qui oracula Sibyllarum interpretabantur, Canonistis à cœtu Romano.

XV. Vox ספריס, quæ exponitur per *Scribas*, & *Legisperitos*, notat *calculatores*, numeratores, daturque *Masorethis*, qui computando & versus & voces & literas cujusvis libri in Sacra Scriptura consenuerunt; quod uti est insigne monumentum ipsorum perspicacitatis, ita divinæ providentiæ, quæ ita illæsas Literas Sacras custodire voluit. *August. in Psal. XL.*

XVI.

pietissimus Persarum magiam docet, quæ est Deorum cultus; docet etiam regios mores, vel artem imperandi. Hujusmodi Magi fuere illi, qui Bethlehemum venere ad salutandum Christum, nec non Antiquorum Ægyptiorum, Arabum, aliarumque orientis gentium Sapientes & Sacerdotes, inter quos Hiob, Jethro, Tharah Abrahamæ pater, Melchisedeck, aliique sanctissimi Dei spiritu imbuti viri. Hinc quidam triplicem Magiam statuunt: *Divinam*, quâ Mens humana tantâ fide in Deum penetrat, ut, quicquid velit, ab ipso impetret, & maxima miracula præstare potis sit, qualia occurrunt Hebr. XI. Atque hanc Magiam non immeritò cum Platone & Apostolo dixeris τὴν τῆ θεῶ θεογονείαν. Act. XVII. 25. Hebr. III. 5. Deinde *Naturalem*, quæ est vera & à Deo infusa scientia rerum naturalium, seu motuum virtutumque in cœlis, stellis, herbis, lapidibus, qualem Salomon scivit, item rerum artificialium, qualem Bezaleel tenuit. Et ad hanc Naturalem Magiam dicunt pertinere artem Alchymisticam, h. e. scientiam viliora metalla in aurum transferendi. Cujus scientiæ veritas adeò nostrâ ætate innotuit, ut vix cordatior quisquam amplius ad cachinnos eorum erubescat, qui cuncta ad rationis suæ perbreve trutinam explorant. Tertio *Magiam Diabolicam*, quæ est præstigatorum &c. de qua inferius *Lib. IV. cap. 10. §. 9. & not. 3.* Sed hodie vox *Magus* & *Magia* in malam partem capitur, uti *Tyrannus*, *Hæresis*, *Fur* &c. Hæc *μαγεία*!

XVI. Quemadmodum Sapientes in suis lecti-
onibus δευτερώσεις traditiones urgebant, ita νομικοί
Legisperiti adhærebant verbo scripto, unde nomi-
nabantur *Textuales*, *Scripturarii*, ספרים. *Drus.*
de 3. sect. lib. 2. cap. 13. Huc facit, quòd & Legispe-
riti & Pharisei sua in innocentem Jesum accusati-
onum tela unà contorquerent, Matth. IX. Γεγρα-
ματέϊς ipsum onerabant crimine βλασφημίας vñ. 3.
Pharisei ipsum damnabant, quòd ederet cum
publicanis & peccatoribus vñ. 11. Accusatio γεγρα-
ματέων erat de transgressione Legis, Phariseo-
rum de contemptu traditionis. (12)

XVII. IV. *Disquisitores*. Hic disquisitor nectit
allegorias, & anagogicis subtilibusque expositi-
onibus textum excutit. Propterea talis enuclea-
tor vocabatur דרשן h. e. *disputator*, *inquisitor*;
ipsius homilia sive explanatio מדרש *allegoricus*
commentarius; ipsorumque Schola בית המדרש.
Vid. Thisb. in דרש. Hi disquisitores habebantur
expositores acutissimi & profundissimæ perspicu-
citatatis; unde illud Psalmistæ, *Eunt de turma ad*
turmam, sive de robore ad robur, huc rapiunt &
applicant suo gymnasio sic; q. d. *eunt ex templo*
E 2 ad

(12) Paulò antè dictum est, vocem ספרים γεγραματέων
Scribarum seu Legisperitorum, non fuisse sectæ, sed offi-
cii, & proinde eos cuilibet sectæ, vel Sadduceis, vel
Phariseis, vel Essæis, adhærere potuisse; & sanè con-
stat ex loc. Matth. XXII. 34. 35. *Phariseorum* quemdam
fuisse νομικόν seu γεγραματέα. Sicque planum est νομικός
in genere non posse opponi *Phariseis*, sed tum, quando
se dederant placitis Sadduceorum, qui posthabebant tra-
ditiones; uti ab autore fusiùs dicetur inferiùs.

ad scholam לבירת המדרש. Ex inferiori ad subli-
miorem scholam. Targum, Ps. LXXXIV. 8.

XVIII. Hinc videmus differentiam inter has
tres Doctorum species apud Paulum. *Sapientes*
sunt Doctores traditionum; *Legisperiti νομικοί*,
Doctores textûs scripti, secundum expositio-
nem literalem; *Disquisitores*, Doctores allego-
riarum & subtilitatum abstrusarum; quas fabu-
lofas & exsanguis expositiones, quoniam ζητήσεις
παρέχουσι *questiones & disputationes suggerunt*, Apосто-
lus damnat, 1. Tim. I. 4. unde talis explanator
vocatur συζητητής *disquisitor, disputator*, 1. Cor. I.
20. Hos tres Doctores, quorum citato loco S.
Paulus meminit, Hebræi nuncupant חכם
sapientem, סופר *computantem, seu scribam*; דרשן
subtilem inquisitorem.

CAP. VII.

De Titulo Rabbi.

I. **C**irca nativitatem Christi nostri Redempto-
ris numerus titulorum valde crevit; (1)
inter quos רב, רבני, רבין, & רבן, *Rabb,*
Rabbi,

(1) Non contenti fuerunt Judæi Doctores suos Rab-
binos, magistros, sapientes &c. appellare, sed insuper
addiderunt cognomina; velut Scholastici Theologi dicti
sæpè sunt *Resoluti, Mirabiles, Profundi, Subtiles, Seraphi-
ci, Angelici, Solennes &c.* Sic R. Jehuda vocatus insuper est
sapiens, quoties ipse vellet, R. Meir, Sapiens & Scriba;
R. Akiba arca aromatum. Unde tantus pectora ipsorum
fastus